

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
FEBRI IN GENERE

QUAM
SENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS
DOMINI DECANI

NEC NON
CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA

IN ALMA AC CELEBERRIMA
REGIA SCIENTIARUM UNIVERSIT. HUNGAR.
PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

ABRAHAMUS ARNOLD

GALICIANUS STANISLAUPOLIENSIS

In Theses adnexas disputabitur in Palatio Universitatis
maiori die Junii 1835.

BUDAE

TYPIS REGIAE SCIENT. UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

CITAT. IMPRIM.

ANNO 1888

56

PRINTED BY ...

1888

DEO FAVENTE

ET MANU DILIGENTE PERFICIENTE

OMNIA FELICITER PROCEDUNT.


VISUS! LECTORIS PRUDENTIS

NON QUANTITATEM INANEM SED QUALI-

TATEM RESPICIENTIS,

OPUSCULUM HOC MEUM,

CONVERTES IN USUM MAGNUM TUUM.



GIOMMA ...

MAKUS

P A T R I
P E R D I L E C T O E T O P T I M O
D O M I N O D O M I N O
E L I A E A R N O L D

A E T E R N U M P I I A M O R I S A C G R A T I T U D I N I S
M O N U M E N T U M

P A G E L L A S H A S C E S A C R A S E S S E V U L T

G R A T I S S I M U S F I L I U S .

Descriptio.

Febri a voce ferveo vel ferbeo derivatum, sistit morbum, in quo, circulus humorum sano velocior, calor animalis alteratus, sitis aucta et lassitudo spontanea constanterprehenduntur. — Febris est symptomatica vel morbus 1. effectus alterius morbi est; omneque, quod irritando aut stimulando agit, eam producit. In 2. vero, omnes vires et substantia organica laeduntur, e pluribus invasionibus componitur; incipit ab horrore et lassitudine, pulsus et calor alteratur nititurque in improvisas mutationes s. crises. —

Hypotyposis.

Febris morbus 7. stadia percurrit; sub stadio oportunitatis, facies pallet nullaque res delectat; invadit dein horripilatio, horror et lassitudo; haec omnia increscunt, donec calor evolvitur cutisque madida fit. — Symptomata, dum ad summum increverunt, in aequali tenore dein persistent, praegressaque perturbatione critica, vitae conatu morbus judicatur, quo symptomata a gravissimis ad levissima usque decrescunt aegerque convalescit, functionibus physiologicis redeuntibus. —

Aetiologia.

Nulla aetas nullusque sexus ab hoc morbo immunis reperitur; dum itaque, per potentias corpus debilitantes, dispositio exaltatur, accedente tunc stimulo heterogeneo, solidum vivum ad morbosam reactionem concitatur, humoresque vario modo alienantur, talique modo febris excitatur. —

Terminationes.

In Sanitatem abit, dum vis medicatrix heterogenea resolvit; vi expellente idiostatice vel apostatice excernit;

deinde si ars causam morbificam amovet, vel saltem vires dirigit. Etiam in mortem terminatur si vires non sufficiunt ad crism producendam vel crism metastaticam inducit; si vero crism incompleta est, tunc in recidivam abit; non raro febris alius formae aut alius characteris, uti febris nervosa versatilis locum prioris occupat. —

Prognosis.

In hujus mali praesagio semper circumspectione opus est. Generatim ante crism nulla certa prognosis proferenda est; exacerbationes tandem irregulares prognosim summe incertam statuunt. —

Therapia februm in genere.

Haec est directa vel indirecta; 1. causam morbi amovet; 2. locum habet, dum causa ignoratur aut amoveri nequit, uti vitia organica, tunc curam operationibus organismi relinquimus, quas solum dirigere conamur. — Haec ultima est empirica et rationalis. Th. empirica adhibet remedia multiplici experimento comprobata Th. rationalis; conditionem virium respicit; includitque curam vitalem et symptomaticam. — Cura vitalis in dirigenda actione virium vitalium versatur, ut liberae et moderate energicae sint; quo causa ignota eis ipsis subigi, enarvari aut expelli possit. — Deflectant vero vires: exorbitantia vel debilitate nimia. — Haec virium conditio a conditione actionum organicarum desumitur. — Exorbitantia vero moderata est oxoptata, tuncque indicatio est: organismum ita praeparandi, ut, secretionibus bene promotis, stases resolvantur, obstacula circuli amoveantur atque omnia superficie colatoria, pro crism instantibus aperiantur. — Haec praestant: solventia. — Si vero actiones vitales sunt a. impetuose exorbitantes; quod a faciei rubore, turgore, oculorum scintillatione, respiratione gravi, pulsu frequenti, forti, calore et transpiratione adaucta, urinae et alvi excretionibus imminutis, decursu febris peracuto et typo continente desumitur. — Talis virium exorbitantia ad moderatam exorbitantiam usque est deprimenda; quod sit vel directe, stimulum morbificum amovendo; vel indirecte, summam nempe aliorum stimulorum minuendo, quod sit

per antiphlogistica: evacuantia, emollientia et refrigerantia suffulciunturque diaeta consentanea, e. g.

1. Rpt. Semin. Hord. mundat. unciam unam.
coq. s. q. aq. ad crepat. gran. usque
col. unc. acto

adde:

nitri puri drachmam semis
oxym. simp. unciam semis

MDS. o. h. 2. cochl. cibar.

2. Rpt. Pulv. rad. Salep drachmam semis
coq. s. q. aq. p. $\frac{1}{4}$ h.
col. unc. acto

adde:

Acid. tartr. grana quindecim

Syr. Rub. Id. unciam semis

MDS. o. h. 2. cochl. cibar.

b. Actiones vitales debilitatae tunc sunt, dum minori energia peraguntur. Hoc fit ex viribus suppressis, languentibus vel penitus exhaustis. — 1. Debilitas ex viribus suppressis. Suppressae tunc sunt, si impediuntur ad reactiones necessarias peragendas. Hoc supponit praesentiam obstaculi cujusdam, quo crises insequi nequeunt, stases oriuntur, dein quod vires diu suppressae in veram debilitatem transeunt. Causae hujus positae sunt. 1 In fluidis a. in plethora vera, sanguinolenta, serosa vel lactea; b. in plethora spuria, a nimia humorum expansione, vasis coarctatis vel a morbosa congestione producta; denique oppletiones organorum heterogeneis diversis: abscessu, calculis etc. — 2. In solidis: pressione solidarum, rigiditate vel spasmo vasorum. Et pro diversitate harum causarum et therapia est diversa: heterogenea eliminantur, mechanicae stricturae solvantur, solidarum rigiditas relaxetur. Si a spasmo est productum, tunc, si causa spasmorum est cognita amoveatur; si vero incognita est, tunc: decrispantia adhibemus, quo: fomentationes tepidae pertinent. — Interne: relaxantia, aperientia, hisque insufficientibus, revulsionem adhibemus, quae methodus Antagonistica vocatur. — e. g.

1. Rpt. Axung. porc. unciam unam
Tart. emet. drachmas duas
m. in Ung. D. ap. fict.

S. ter d. d. magn. pisi inung.

2. Rpt. Fario. semin. sinap. nigr.
 Fermenti panis. aa unc semis
 Acet. vini opt. q. s. ut fiat
 Sinapismus DS.
 Senfteig.

Debilitas febrilis ex viribus languentibus.

Vires languentes sunt illae, quae, ob stimulorum defectum, oscillationes debiles peragunt. — Haec debilitas directa, erethistica vocatur, et summa receptivitate erga stimulos stipatur.

Dignoscitur ex turgore faciei imminuto, energia motuum infracta cum irritabilitate excedente, capite vertiginoso, respiratione placida sed citata non profunda, pulsus frequens sed debilis, mollis, parvus, digestionem languida, secretionibus et excretionibus auctis, actionum vitalium inconstantia fibrisque tremula. — Diagnosi confirmatur, effectu noxio remediorum debilitantium. — Hic excitantia, etiam cardiaca dicta, therapiam absolvunt. Huc pertinent nutrientia analeptica, stimulantia diffusibilia et roborantia tonica; — Haec omnia frequentius sed parva dosi sunt exhibenda, suffulciunturque regimine diacretico, e. g.

1. Rpt. Pulv. rad. Salep drachmam semis
 coq. s. q. aq. p $\frac{1}{4}$ h.
 col. unc. octo
 adde:

Tinc. Cinnam. drachmam unam
 Syr. Cinnam. unciam semis
 MDS. o. bii. duo cochl. cibar.

2. Rpt. Rad. Valer. sylvestr. drachm. duas
 inf. s. q. aq. ferv. p. $\frac{1}{4}$ h. v. c.
 col. unc. octo.
 adde:

Mucilag. gum. arab
 Syr. Papav. alb. aa unc. semis
 MDS. o. bii. duo cochl. cibar.

Debilitas febrilis ex viribus exhaustis.

Vires exhaustae tunc sunt, dum reactiones in stimulos applicatos vel summe debiles vel plane nullas exerunt. — Haec debilitas indirecta, praegressis stimulis vehementissimis inducta, etiam paralytica dicitur. — Crises itaque plane non contingunt, resolutio et paralysis universalis insequitur. — Debilitas haec colliquativa inducitur, per causas nimis debilitantes aut per superstimulationem; per nimis diurnam earum suppressionem; qua demum extinguuntur; per nimis impetuosam earum actionem, qua de lassantur et consumuntur; etiam debilitas directa, nimis diu persistens ac non allevata, eam inducit. — Dignoscitur ex facie subcadaverosa, pallida, collapsa, angulosa; aspectus involuntarius, oculis fixis, semiclausa, sphincteris oris retractio, porrectis incisuris superioribus, appetentiarum ac voluntatis plenum silentium; mentis conturbatio, invincibilis inertia ad motum; corporis gravitas plumbea; sphincteris organorum excretoriorum relaxatio, pulsus frequentissimus, debilissimus, calor imminutus, extremitates frigent, cutis sudore viscido madida; humorum dissolutio, adfectiones syncopales frequentiores. — Corroboratur haec diagnosi, effectu deleterio remediorum debilitantium atque reactione debilissima, in stimulos etiam fortiores. — Therap. Indicatio hic est: vires deperditas reintegrandi paucasque residuas restaurandi ac extollendi; Indicatum: restaurans stimulantissimum; huc pertinent: Cinnamon, flores et radices Arnicae; Angelica, camphora, moschus, naphthae reliquaue spiritiosa aromatica, qualitate fortiora et majori dosi exhibita.

Theses defendendae.

1. Febris inflammatoriae essentia, in incitatione arteriarum excedente, praecipue vero in dyscrasia phlogistica consistit.
 2. Febris putrida nil aliud est quam: scorbutus acutus.
 3. Febris nervosa spuria et erethistica, therapia rationali instituta, saepius sanatur.
 4. Origo febris nervosae spuriae, tam in fluidis quam in solidis est quaerenda.
 5. Febris nervosa versatilis, nunc ob stimulorum defectum, nunc ob humorum dispendium evolvitur.
 6. Peculiarem proclivitatem in statum nervosum producendum habent: mephites et contagia.
 7. In febre saburrali, non tantum ad molimina naturae sordes eliminandi, sed et ad effectus inde ortos est attendendum.
 8. Febrim biliosam tam hypereraethesia vasorum quam relativa vis stimulans humorum producent.
 9. Febris gastro-pituitosa nil aliud quam catarrhum tubi intestinalis exhibet.
 10. Febres exanthematicae, peculiari nisu in posthuma distinguuntur.
 11. Febres intermittentes saepe absque chinae usu tolluntur.
 12. Oculus ita se habet ad reliquum organismum, sicuti systema nervosum ad reliqua systemata.
-